Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2217

Quelle:
Copyright:

ſtini, taceturque de *Guil. Ocamo* famoſo illo O. M. Doctore. Exemplar aliud *fol.* 143.

Fol. 77. *Incipit prologus in tractatum de ſpirituali vita anime Magiſtri Johannis Gerſon Cancellarij pariſien. viri deuoti pariter et literatiſſimi.* Dirigitur ad *Petrum de Alliaco* Ep. *Camerac.* Autoris in Theologicis Praeceptorem. Tractatus ipſe VI. *Lectionibus* definitus incipit: *Ego vos baptizaui aqua* &c. ut T. III. *col.* 1.

Fol. 149. absque Inſcriptione Remedia XII. contra Tentationes. Ineunt: *Ad honorem dei dicam aliqua remedia contra aliquas temptationes ſpirituales, que in hoc tempore habundant in terra ad probandos et purgandos dei electos* &c. Provenire eas diſcimus: *Primo per ſugeſtionem et illuſionem dyaboli decipientis hominem circa regimen quod debet habere erga deum et illa que dei ſunt. Secundo per corruptam doctrinam et modum viuendi illorum, qui iam victi ſunt a predictis temptationibus.* His igitur Remedia praeſcribuntur, quae quidem in *Gerſonis* Operibus non reperio. Quare aut illius non ſint, aut omnes hactenus Editores fugerint. Finiunt: *et ſic domino iuuante ipſas ſuperabis. Amen.*

Fol. 159. *Johannes de Gerſona de X. Preceptis.* Alias *Opuſculum tripertitum de Decalogo, Confeſſione et Arte moriendi*, ut T. I. *col.* 427. Init: *Chriſtianitati ſuus qualiſcunque Zelator* &c. Integrum.

Fol. 179. p. 2. *Tractatus de corpore chriſti Domini Boneuenture.* In edit. *Lugdun.* Opp. omn. T. VII. p. 66. inſcribitur: *De Praeparatione ad Miſſam* et incipit: *Ad honorem glorioſe ac indiuidue trinitatis, Et ad honorem excellentiſſimi Sacramenti* &c. Abrumpitur in Codice ante finem *Cap.* 8. his verbis: *huius exceſſiue caritatis et dulciſſime — —.*

Fol. 190. *Tractatus M. Joh. de Gerſona.* Incipit: *Super materia Symoniace labis in Collacione beneficiorum per papam* &c. Recte igitur T. II. *col.* 645. inſcriptus *De Simonia.*

Fol. 197. *Secuntur aſſerciones generalis ordinis predicatorum promulgate in ſermone ſuo quem fecit die quarta Menſ. octobr. id eſt in die Sancti franciſci apud fratres minores in Conſtan. Concillio Anno Domini M° &c. XVI°.* Sunt numero IV. cum totidem corollariis, agunt de *Gladio ſpirituali*, ſive ſumma Poteſtate, quae in Eccleſia reſideat *inſeperabiliter*, in Papa vero *ſeparabiliter*, et concludunt, Concilium *Conſtant. quia eccleſia papa caret, aut legitimum non habet, approbanda et reorobanda in ipſa eccleſia habere diffinire et determinare.* De Sermone, quem M. *Leonardus Statius de Datis* generalis XXV. Ord. Praed. ut ſupra enuntiatum eſt, habuit, altum ſilent *Labbeus, Hardtius, Manſius*, ipſi Ord. Bibliothecarii. Συνοψιν noſtram ſe publicare ait, quod quidam conati ſunt aſſertiones ſuas *ad ſenſum trahere repugnan-*